

048

046

052

042

057

037

097

147

547

Ende

Anfang

37

rebant ad videndum nos, tandem venit unus in equo, homo magnus, et interrogavit Mamalucum nostrum, quanti pretii essemus nos quatuor? Ego, inquit, hos quatuor emam, et sufficiens pretium dabo, exprime, quantum tibi justum videtur. Cui respondit Mamalucus: in hoc foro nemo dabit mihi sufficiens pretium pro illis quatuor sclavis; sunt enim sine defectu, integri et sani, mittam ergo eos Alexandriam, et ibi ducentur ad transmarinas partes, ubi magni pretii erunt. Hac responsione non fuit contentus Sarracenus, et produxit de pera sua X ducatos, volens in promptu sine proba emendorum dare pro quolibet decem, ut sibi eos dimitteret. Inter haec magnus fuit concursus factus ad nos, quia, quando aliquis emit hominem, accurrunt multi, ut pretium et appretiatum videant. Cum magna jucunditate sic stetimus venales: et dum Sarracenus cerneret nos laetos et corrientes Mamaluco, consideravit nos non esse venales et abiit. Nos etiam transivimus ad locum, ubi et (b) Aethiopes venales erant: dominus enim Comes juvenem Aethiopem emere cupiebat, sed nullus ei vendere voluit, eo, quod Christianus fuit. Nullum enim hominem Christianis vendunt, sed Christianos emunt. Deinde ad alia loca transivimus, et ibi emit Comes simiam caudatam et pannos pretiosos sericos et vestes Sarracenicas et alia hujusmodi. Et ita in domum nostram reversi sumus.

Quarta decima die, quae est Calyxi papae, mane adscendit Tangwardinis equum, et exiens curiam prohibuit nos egredi domum, et post modicum revertens adduxit secum duos Mamaluos equestres, et Sarracenos cum tot asinis, quot erant peregrini. Adscendimus ergo asinos et egressi domum per longum et populosum vicum transivimus. Ad unam autem portam ferream venimus magnam et vetustissimam, per quam intravimus alium vicum populissimum, ita, quod non poteramus nos in asinis movere nec pertransire: Mamaluci ergo nostri praecedentes elevatis fustibus suis clamoribus et minis populum obsistentem fugabant ad faciendum nobis viam, et hoc saepe nobis contigit, nonnunquam autem tantus fuit populi tumultus et concursus in aliquo loco, quod nec clamor nec minae Mamalucorum advertebantur, et tunc cum fustibus incipiebant caedere et percutere in vulgus, et via fiebat populo ab ictibus declinante et ab equorum impetu; cum equis enim suis irruebant in populum, et elevatis fustibus, minus curantes laedere homines, quam si quis nostrum transiret per gregem porcorum.